



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1611**

Sextum excitatorium desiderij perfectionis; quòd non proficere, deficere  
est. Cap. x.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)



Mat. 24.

Amb. li.  
7. in Lu-  
camad. c.  
18.

Pſ. 102.

Iſa. 66.

accepisset, numquam ad maiorem aspirasset. Interrogatus semel Dominus à discipulis de signo aduentus sui, ac consummationis sæculi, inter alia respondit: Vbi cumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Hoc signum non tantum illius est posterioris aduentus, quo Dominus mundum iudicaturus adueniet, & sæculum quoad mutabilitatem, & corruptibilitatem consummabit, sed etiam medi aduentus, quo spiritualiter in animam per gratiam venit, & sæculi in illa amore extinguit. Signum verò est aquilarum ad corpus congregatio. Dicit nobis Ambrosius, quid Aquilæ, corpusque designent. Iustorum animæ, inquit, aquilis comparantur, quòd alta petant, humilia derelinquant, longævam ducere serantur aetatem. Unde & David animæ suæ dicit: Renouabitur sicut aquilæ iuventus tua. Si igitur intelleximus aquilas de corpore, iam dubitare non possumus, maxime si meminimus, quòd à Pilato Ioseph corpus accepit. Christus igitur secundum Ambrosium corporis nomine designatur, eo quòd pro nobis mortem subiit, & ad vitam nostram in sepulchro corpus suum tribus diebus exanime dereliquit. Aquilæ verò sunt animæ iustæ, quæ spiritualibus sanctorum desideriorum alis imaretur terrenarum deserunt, & ad virtutum celsa conscendant. At ideo cum his alis, cum sanctis scilicet desiderijs, sui puritatem querunt, & Christum imitatione assequi, eique affectibus & operibus adherere concupiscunt, signum est Christum in illis per gratiam venisse, & amorem sæculi superasse. Hoc signum querat anima in semetipsa, quia signum prosperitatis est, & signum fœderis inter Deum, & ipsam, quo Dominum non iam sibi iratum, sed planè propitium, & placatum agnoscit. Signum est, quòd Deus non eam solam, sed multas alias animas eius ministerio saluandas inquirat. Quæ enim desiderio perfectionis ardet, numquam est sterilis, sed ipsum desiderium ad faciendum in aliis fructum prouocat, aut saltem virtutis exemplo eos docet & monet, & ad vitæ mutationem inducit. Neque enim omnino incongruè de hoc desiderio potest intelligi illud Isaia: Et ponam in eis signum, & mittam ex eis, qui saluari fuerint ad gentes in mare. Excitabo, dicit Dominus, in iustis meis vehemens perfectionis desiderium, quod est signum aduentus mei in illos, ac gratia mea; & tunc mittam illos in mare huius sæculi, ut alios vocent, & operibus bonis tamquàm magnis clamoribus ad emendationem vitæ conuertant. Qui igitur illuminati à Deo, hoc solum magnum putamus, eius gratiam promereri, & filiorum dignitatem adipisci, hoc desiderium perfectionis in nobis diuina gratia adiuuante excremus, quòd artha sit huius excellentissimi boni, & pretiosissimæ margaritæ, quam summis conatibus concupiscimus.

*Sextum excitatorium desiderij perfectionis:  
quòd non proficere deficere est.*

## CAPVT X.



**A**LIQVI fortè sunt in mundo à diaboli fallacis exempti, qui nollent thesauros recondere, & nouas diuitias acquirere, nemo tamen est, qui velit diuitias iam partas pessundare, & sine vlla causa in mare iactare. Quæ enim mala, & noxia putamus, libenter à nobis abiicimus, quæ verò bona, & vtilia sentimus, nullo modo refutamur, quare qui habitas diuitias tu bonas,

**A**tum viles iudicat, eas disperdere, atque consumere numquam in suam mentem inducet. Viri autem spirituales, & Deo dediti, virtutes, & perfectionis actiones, suas diuitias putant, & quidem sapienter: quoniã eorum possessione, & sibi, & alijs sufficiunt, & in bonorum congregatione ditescunt. Ideoque virginibus sapientibus præsignati sunt, quibus sanctorum operum oleum non defecit, ut lampadibus accensis læta sponsum exciperent, & ad æternas nuptias introirent. Licet ergo aliquando segnitie obruti, & mentis ariditate possessi, nolint has suas diuitias augere, numquam (ut credo) vellent, quas magnis laboribus iam quæserunt, dissipare, & pauperes, ac mendici permanere. Id ergo eos ad desiderium perfectionis nunc excitet, quòd si non nitantur proficere, & virtutem adeptam augere, eo ipso à virtute deficiunt, & opes spirituales iam partas prodigè, & insipienter imminuunt. Doctrina hæc difficilis, scrupulosa, imò & apertè falsa sciolis apparebit, qui puerilibus quibusdam rationibus eam euertere, & labefactere nitentur. Dicent enim fortassis intra semet ipsos; si, ut inquit Paulus, sine penitentia sunt dona, & vocatio Dei, quoniam modo diuina dona non promouere satis erit, ut extenuentur, & Dominus ipse non auferat, sed in nobis sine vlla penitentia custodit? Gratiam quoque, & charitatem, ac reliquas (præter fidem & spem) virtutes infusas solum peccatum lethale subuertit. Qui ergo in aliquo gradu gratiæ, & virtutum positus, numquam in graue peccatum incidit, licet tepidè viuat, & desideria proficiendi deponat, & nullo modo adeptam virtutem promouere curet, nequaquam ab illo gradu prius adepto deficiet. Nisi forsitan velimus nos quorundam antiquorum Theologorum opinionem suscitare, qui charitatem peccatis leuibus, si non destrui, at minui putarunt; & ita his peccatis, & similibus imperfectionibus eam extenuari dicamus. Cui doctrinæ meritò vbique contradicitur: fieret enim, ut quis tandem sine vilo graui peccato, sola multiplicatione minorum, charitatem omnino perderet, & diuinam gratiam amitteret. Quia philosophorum communis, & certa sententia est, finitum finiti ablatione posse consumi. Quare à finita charitate, & gratia, tot posse aliquis leuibus peccatis partes abscondere, ut deum illam omnino dissiparet. Et profectò, si non proficere, deficere est, sine vlla intermissione proficiendum esset, ne aliquantulum saltem ab adeptâ virtute excideremus. Ergo cum dormimus, cum cibum sumimus, cum animum infirmitatis causa laxamus; si quidem non proficimus in virtute, regredimur, & aliquid adepti feruoris discimus. A quibus operibus naturæ vtiq; necessarijs, cum nec viri sanctissimi, & perfectissimi homines abstinuerint, sequitur, illos à primâ virtute defecisse, nec merita sua iugiter (prout in hac vita fieri potest) nouis profectibus cumulasse.

**E**His scientiæ humanæ, aut tepiditatis humanæ rationibus, nouit spiritualis sapientia respondere, nec difficulter, quoniam est in immensum, omni humana scientia sapientior. Atque (ut nunc eius partes agamus) proferamus primùm in medium, quid Ecclesiæ doctores, nobis diuinitus in lucem dati, de proposita doctrina fenserint, & inde melius veritatè eliciemus, ac melius nos ipso timore imminentis mali, ad desideria nouorum semper profectuum querendorum excitabimus. Augustinus quidem (ut principio doctorum sol nobis affulgeat) non semel, sed ter tepidos, & non proficientes deficere sine vlla ambiguitate confirmat. Nam quodam loco sic ait: Tamdiu non relabimur retro, quâdiu ad priora con-

tendimus:

Mat. 25.

Rom. 11.

August.



Idem ser. 15. de verbis Apoſt. ad ſinem.

Idem in. Pſal. 69. ante finē.

Greg. 3. 4. poſt ſer. c. 35.

Pron. 18.

Apoſt. 3.

tēdimus: at vbi cœperimus ſtare, descendimus, noſtrumque non progredi, reuerti eſt: ſi volumus non redire, currendum eſt.] Alio verò loco in hunc modum ſcribit: Semper tibi diſpliceat quod eſt, ſi vis peruenire ad id quod nondum eſt. Nam, vbi tibi placuiſti, ibi remanſiſti. Si autem dixeris, Sufficit, & periſti: ſemper adde, ſemper ambula, ſemper profice, noli in via remanere, noli retrò redire, noli deuiare. Remanet qui non proficit, retro redit qui ad ea reuoluitur, vnde iam abſceſſerat; deuiat, qui apoſtat. Melius ite claudus in via, quàm curſor præter viam.] Et rurſus tertio idem repetit, dicens: Hæc vox (ſcilicet, tu eſt adiutor meus) perſeueret in nobis, fratres. Quantūcumque; hinc vixerimus, quantumcumque hinc profecerimus, nemo dicat, ſufficit mihi, iuſtus ſum. Qui dixerit, remanſit in via, non nouit peruenire. Vbi dixerit ſufficit, ibi hæſit.] Serio nunc tecum expende quid magnum hoc Eccleſiæ lumē in his omnibus verbis edoceat. Nō enim ſolum petit, vt ambulemus, ſed vt curramus, ſi regredi & retroſum abire nolumus in via Dei. Quoniam eſt tarda, & leſnis quædam ambulatio, aut nauigatio, quæ contrariis ventis non valens reſiſtere, plorū vi, ad portum, vnde feruore exierat, tepore reuertitur. Nec ſolum ait: Si dixeris ſufficit, confediſti, ſed periſti: ] quia non longè à perditione eſt ingratus ille, qui cum deberet donis ſibi conſeſſis Domino gloriam afferre, iniuriam itrogat, & talentum otioſum ſeruat, & obſequia debita non perſoluit. Quid autem poſtremo addit? Qui dixerit, ſufficit, ibi hæſit.] Vbi hæſit? Certè in cœno imperfectionū ſuarum, in luto miſeriarum ſuarū, in ſterquilinio inſtitutarum ſuarum, quibus, quia malagma non apponitur, ſemper durior callus obducitur, & noua difficultas admittendæ curationis adiicitur. In eandē ſententiam conſpirat Gregorius in hæc verba. Admonēdi ſunt, qui inchoata bona minimè conſummant, vt cauta circumſpectione conſiderent, quia dum propoſita non perficiunt, etiam quæ fuerant cœpta conuclunt. Si enim quod videtur gerendum, ſolita intentione non creſcit, etiam quod fuerat bene geſtum, decreſcit. In hoc quippe mundo humana anima, quali more nauis eſt, contra icſtum fluminis condeſcendens; vno in loco nequaquā ſtare permittitur, quia ad ima relabitur, niſi ad ſūma conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non ſubleuat, ipſa operandi remiſſio contra hoc quod operatum eſt, pugnat. Hic eſt enim quod per Salomonem dicitur: Qui mollis & diſſolutus in opere ſuo fuerit, frater eſt ſua opera diſſipantis.] Quia videlicet, qui cœpta bona diſtrictè non exequitur, diſſolutione negligentia manum deſtuentis imitatur. Hinc Sardis Eccleſiæ ab Angelo dicitur: Eſto vigilans & confirma cætera, quæ moritura erant; non enim inuenio opera tua plena coram Deo meo.] Quia ergo plena coram Deo eius opera inuenta nō fuerant, moritura reliqua etiam, quæ erāt geſta, prædicabar. Si enim quod mortuum in nobis eſt, ad vitam non acceditur, hoc etiam extinguitur, quod quaſi adhuc viuū teneretur.] Quod dictum Gregorij vehementius ſanè noſtram legitimitate oppugnat. Nam ſi tepidus, & ſuorum operū diſſipator, fratres ſunt, & non doctor aliquis, non turba doctorum, non Angeli, aut ſupremi ſpiritus, ſed ſpiritus ſanctus per Salomonem id dicit, non dubium, quin ſicut iſte ſua opera deſtruit, ita ille ſua tepiditate & negligentia conucllit. Et, ſi vigilantia requiritur, ne præterita bona pereant, certè negligentia, & oſcitantia, quæ iam egimus, inſtar immaniſſimi hoſtis ſine vlla miſeratione diſperdit. An non negligentia diuitis, inter raptores ambulantis, eius opes latrocinii & rapinis exponit? Et nos inter raptores ambulamus; &

A inter aduerſarios conuerſamur, qui oculis lynceis aſpiciunt, an poſſint aliquid ſuffurari: & negligentius, & dormimus, & ad alia, aliena à perfectione noſtra curanda, diſtahimur: quis ambigat negligentiam noſtram eſſe perditionis ianuam, quæ & bona iam quaſita depellet, & nec dum habita, non admittet?

Exeat nunc ſanctiſſimus & eloquentiſſimus Leo Papa, & eandem doctrinam breuius, ſed eloquentius aſtruat. Is ita ait: Quantumlibet quiſque iuſtificatus ſit, habet tamen, dum in hac vita eſt, quo probatior eſſe poſſit, & melior. Qui autem non proficit, deſicit; & qui nihil acquirit, non nihil perdit.] Subtiliter quidem cauſam huius veritatis pandit: quia enim ſemper poſſumus in virtute proficere, & meliores ac ſanctiores euadere, ſi non ſpiritu progrediamur, non parum regredimur, & à noſtra obligatione deſicimus. Nam ſi quis itineri ſe committens, tantisper ab hoſpicio digreſſus ſedeat, & dormiat, & ad multam noctem expergefactus, ſe multis paſſibus à termino ſui itineris diſtancem inueniat, merito ſeipſum obiurgat, inertem, ac ignauium vocat, & ex eo ſolum, quod non (vt debuit) progreſſus eſt, deſeciſſe, & operā perdiditſe putat: Idem proſus poſt multos religioſæ conuerſationis annos, ſe longè ſentiens à perfectione ſuæ, qui eo ipſo, quod non peruenit, quod potuit & debuit, planè à ſua obligatione deſecit. Sequatur Leonem Chryſoſtomus, ſi non atate, at oratione noſtra, qui iuſtos ad currendum adhortans, ſatis indicat, ſi in via ſteterint, ſe ſuo muneri non ſatisfacere, atque adeo à virtute deſicere. Qui ſe iam perfectum eſſe, ait, & nihil ad virtutis aſſequutionem deſſe ſibi putat, à curſu ceſſabit, tamquam totum iam aſſequutus. Qui verò, ſe metam nondum attingiſſe putat; numquam à curſu deſiſtet. Hoc ergo nobis ſemper reputandum eſt, etiam ſi innumera dona exequuti fuerimus. Si enim Paulus poſt mille mortes, poſt tanta pericula, iſtud arbitratus eſt de ſe, multo magis nos.] Hoc verò poſtremum dicit Chryſoſtomus propter illud, quod Paulus de ſemetipſo conſcripſit: Fratres, ego me nō arbitror cōprehendiſſe.] Qui igitur in via Dei ſedet, & nō curat ad maiora cōſurgere, ſi nō ore, at opere dicit: Non ſum ſicut cæteri hominū. Illi ad ſalutem aſſequendam diligentia indigent, ego non indigeo: illi eniti, & laborare debent, ego non debeo: illi nondū ad concupitam ſanctitatem peruenerunt, ego iam perueni. Quare iam bene poſſum curam omnem meæ perfectionis abiicere, & tepidiſſimis quibusdam operibus, non ad anteriora me extēdere, ſed retrò redire, & ineptiſſimis curis vacare. Et quis magis deſicit, quàm iſte, qui profectō necdū profectū cognouit, quē antequam viderit, ſe in ſinu illū habere aurum: Et quis ſtultior eo, qui in tempore curſus ſedet, in tēpore pugne, riſui & ſermonibus otioſis indulget & in tempore belli, non arma, ſed pacem & ſonnum meditatatur? Poſt magiſtrum, citemus diſcipulum, nempe Ioannem Caſſianum, Chryſoſtomij primum auditorem, atque diaconū, poſtea verò eremitā, & monaſteriorū fundatorem. Hic multo clariuſ & euidentiuſ eſt huius, quem tractamus periculi tepidorum aſſerter. Neceſſe eſt, inquit, vt ſecundū Apoſtolum, aut renouatus quis ſpiritu mentis ſuæ per ſingulos dies proficiat, ad ea ſe, quæ in ante ſunt, ſemper extendens, aut ſi neglexerit conſequens eſt, vt retrò redeat, atq; in deterius relabatur. Et id circo nullo modo poterit mens in vna atq; eadē qualitate durare; velut ſi quis contra aquas violētī fluminis nauem ſubigere remorum impulſione conetur, neceſſe eſt, eum, aut virtute brachiorū torrentis aluei impetum deſecātem, ad ſuperiora cōſcendere, aut remiſſis manibus ad præcepta

Leo ſer. 8. de paſſio.

Chry. hō. 12. ad finē.

Phil. 13.

Cass. col. 6. c. 34.

1. Cor. 4. Phil. 3.





prono amne reuocari. Quapropter istud erit euidens nostri indicium detrimenti, si intellexerimus, nos, nihil amplius acquisisse: nec dubitemus terrorum nos fuisse omnimodis reuocatos, qua die non senserimus ad superiora progressos; quia, vt dixi, nec in eodem statu mens hominis potest iugiter permanere, nec in hac carne consistens ita virtutum apicem possidebit, quisquis ille sanctorum, vt immobilis perseueret. Necesse est enim aut aliquid adici illis semper, aut minui: nullaque in omni creatura talis poterit esse perfectio, quæ mutabilitatis non subiaceat passioni, secundum illud, quod in libro beati Iob legitur: Quid est homo, vt immaculatus sit, & vt iustus appareat natus de muliere? Ecce inter sanctos eius nemo immutabilis, cæli non sunt mundi in conspectu eius.] Solum namque Deum immutabilem confitemur, quem tantummodo, sancti illius propheta ita compellat oratio: Tu autem idem ipse es.] Er ipse de se: Ego sum, inquit, Dominus & non mutor: ] quia scilicet solus ipse sit naturaliter semper bonus, semper plenus, semperque perfectus, cui nihil nec adici possit aliquando, nec minui. Ideoque debemus ad virtutum studia irremissa cura ac sollicitudine nosmetipsos semper extendere, ipsique nos iugiter exercitiis occupare, ne cessante profectu, confestim diminutio subsequatur.] Similitudine nauis vtitur Cassianus, contra ictum fluminis ad superiora nitentis, qua etiam Gregorius est vsus, & fortè iste ex illo antiquiore desumpsit, quæ micificè totam rem istam declarat. Ego enim flumen existimo mortalem istam conuersationem, quæ semper defluit, & numquam in eodem statu permanet, aut in eodem gradu consistit. A quas verò huius fluminis puto affectus humanos, atque passiones, quæ semper impetu ad ima descendunt, & ad corruptionem relabuntur. Naue[m] autem animam cuiusque cogito, in medio fluminis nauigantem. Quis nunc non videat, hanc, si per feruorem vitæ spirituales, non ad superiora contendat, affectuum impetu ad pristina desideria relapsuram, & vndis, id est, desideriiis vani honoris, & temporalium commodorum, nec non & huius sæculi distractionibus ad mare, id est, ad vitam sæcularem, si non statuat moribus redituram? Nemo itaque seducat seipsum, & putet in fluminis medio sedere, & in tepiditate vitæ, quæ acquisiuit tempore feruoris, seruare: quia hæc insensibiliter sola feruoris omissione senescunt, & vndarum, hoc est, affectuum nostrorum impetu dilabuntur. Quod vrinam non quotidiana experientia monstrasset, in his, qui feruore iram, superbiam, & pruritus carnis vicerunt, & diligentiam in segnitiam commutantes, se iracundos sicut antea, & ambitiosos, & carnis impulsibus irretitos persentiunt.

Postremum locum occupet in hac tractatione Bernardus, non quod minor sit, sed quod ab antiquioribus dicta ipse luculenter repetiuit. Quodam loco ait: Quisquis in schola Christi non proficit, eius indignus est magisterio, præsertim tamen vbi sumus, vbi nihil in eodem statu permanet, & non proficere, sine dubio, deficere est. Nemo proinde dicat, satis est, sic volo manere, sufficit mihi esse, sicut heri & nudius tertius. In via residet, qui huiusmodi est: in scala subsistit, vbi neminem patriarcha vidit, non ascendentem aut descendentem. Digo ergo: qui se existimat stare, videat ne cadat.] Ardua & angusta est via, & non hic, sed in domo Patris mansiones sunt multæ.] Itaque qui se dicit in Christo manere, debet, sicut ille ambulauit, ipse ambulare.] Iesus enim, ait Euangelista, crescebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.] Et iterum alio loco sic scribit. Itaque indefessum proficiendi studium & iu-

gis conatus ad perfectionem, perfectio reputatus. Quod si studere perfectioni, esse perfectum est, profectio nolle proficere, deficere est. Vbi ergo sunt qui dicere solent: sufficit nobis, nolimus esse meliores, quam patres nostri. O monache, non vis proficere? Non. Vis ergo deficere? Nequaquam. Quid ergo? sic mihi, inquis, viuere volo, & manere, in quo perueni, nec peior fieri patior; nec melior cupio. Hoc ergo vis, quod esse non potest? Quid enim stat in hoc sæculo? Et certè de homine specialiter dictum est: Fugit velut umbra & numquam in eodem statu permanet. Ipse denique hominis, sæculi; Auctor, quæ diu in terris visus est, & cū hominibus conuersatus est, nunquam stetit. Et quidè teste scripturas, Pertransiit beneficiendo, & faciundo omnes. ] Pertransiit ergo, sicut non infructuosè, ita non remissè, non pigre, non lero gressu, sed quemadmodum item de eo scriptum est: Exiit aut vt gigas ad currentam viam. ] Porro currentem non apprehendit, qui & ipse pariter non currit. ] Tertium etiam locum eiusdem sancti doctoris adiciemus. Recedat à me, & à vobis, qui dicunt, nolimus esse meliores, quam patres nostri, tepidorum & dissolutorum se filios protestantes. Quorum memoria in maledictione est, quia manducauerunt vvas acerbas, quibus dentes filiorum obstupuerunt. ] Aut si sanctis, & bonæ memoriæ patribus gloriatur, imitentur certè sanctitatem, quorum indulgentias dispensationesque pro lege defendunt. Quamquam sanctus Helias, Non sum, inquit, melior, quam patres mei, ] & non dixit se nolle patribus esse meliorem: Vidit Iacob in scala angelos ascendentes, & descendentes. Numquid stantem quæpiam, siue sedentem? Non est stare omnino, in pèdulo fragilis scala; neque in incerto huius mortalis vitæ, quæquã in eodem statu permanet. Nō habemus hic manentem ciuitatem, nec futuram adhuc possidemus sed inquirimus. ] Aut ascēdas, necesse est, aut descēdas. Si attentas stare, rnas necesse est. Minimè pro certo est bonus, qui melior esse non vult. Et vbi incipis nolle fieri melior, ibi etiam desinis esse bonus. ] Hæc dicta patrū certè sufficiunt, vt hanc veritatem confirmemus, sed quam ob causam aut quomodo id verum sit, quod qui non proficit, deficit, nunc nos pro nostra tenuitate dicamus.

Qui ergo non conatur in virtute proficere, & ipsemet deficit, & opus eius studiosum deficit & virtus eius deficit, à qua opus studiosum emanat. Ipse deficit, quoniã suo muneri non satisfacit. Viri enim spirituales in hac vita viatores sunt, qui in cœlestem patriam gressibus meritorum festinant: discipuli sunt, qui perfectionis scientiam, & artem bene viuendi perdiscunt: pueri sunt, qui optimis alimentis, non staturam corporis, sed mentis augetur. Ergo manifestè à sua obligatione deficiunt, si in via sedeant, si in dies in sanctitatis disciplina non proficiant, si pusilli semper maneant, & debitam virtutis mensuram non acquirant. Deficit famulus, si vel vna die otiosus maneat, & obsequia sibi iniuncta non præstet, & nemo eum excusabit, nemo illum non reprehensibilem iudicabit, nemo non dignum pœna ferebitur. Et nos famuli sumus, aut serui summi Dei, pensum obsequiorum in omnem diem, quod reddamus, assignatum habemus. Quis nos non otiositatis & ingrati tudinis damnabit, si vel vna die non profecerimus, (profectus enim noster est obsequium Dei) & non fecerimus aliquod virtutis augmentum? Mercator, qui potuit nouum lucrum acquirere, & prætermisit, ab aliis mercatoribus rideretur, & in sua arte defecisse iudicaretur. Et si absque causa debita contrahat, quibus soluendis suam substantiam imminuat, imprudens & stultus haberetur. In idipsum, imò in multo maius nos non proficientes crimen indicimus, quoniã & cœlestes

Iob. 15.

Psal. 101. Malach. 3.

Bernar. epist. 341. ad monachos. 5. Berni. Gen. 28. 1. Cor. 19.

Ioan. 14. 1. Ioan. 2. Luc. 2.

Ide epist. 154. ad Carinum

Iob. 14.

Act. 20.

Psal. 18.

Ide epist. 91. ad Abb. suam. sione congregatos. Ezer. 18.

3. Re. 19.

Gen. 28.

Hob. 13.



Apo. 2.

Richard.  
lib. 1. in  
Apo. c. 5.

2. Cor. 6.

Mat. 20.

thesauros, cum possimus, non lucratur, & quotidianis imperfectionibus penarum sustinendarum debitores efficiuntur. Oltendit quidem Dominus, eum, qui non proficit, deficere, & esse reprehensione dignissimum, dum Episcopum Ephesiorum non perditam charitatis, sed imminutam reprehendit. Sed habeo, inquit, aduersum te, quod charitatem tuam primam reliquisti. Non ille charitatem omnino perdidit, sed feruorem eius, quod ceperat, minime auxerat, imo aliquantulum tepide agendo remisit, & ob id verba indignationis, & comminationis audit, & segnitiam proximam esse caui, ex dictis sui Creatoris aduertit. Memor esto, inquit, unde excideris, ex quo scilicet feruore, ad quantum mentis teporem perueneris, & age penitentiam non criminum, quae post primam illam charitatem non commisit, sed magnarum imperfectionum, quibus illam tepide te gerendo scedasti; & prima opera, id est, feruida & perfecta fac; siu autem uenio tibi, & mouebo candelabrum tuum, auferam nepe dona quae otiosa & inutilia recondis. Ex qua increpatione & comminatione perpendite, ait Richardus Victorinus, quanta sit culpa post acceptam gratiam negligenter agere, nec in ipsa proficere, sed magis deficere. Unde Paulus nos admonet, dicens: Hortamur vos, ne in uacuo gratiam Dei recipiatis. In uanu gratiam Dei accipit, qui in ea proficere negligit, sed magis deficit. Merito etiam ipse Dominus non solum male agentes, sed etiam otiosos increpat, dicens: Quid hic statis tota die otiosi? Quonia non solum delinquit, qui mandata transgrediuntur, sed & qui mensuram, ad quam uocati sunt, perfectionis, non complent. Non est ergo ambiguum, quod omnes in via Dei non proficietes, a suo munere decidant, atque adeo quod ipsi Deo, & debito suae uocationis deficiant.

Deficit etiam opus tepidi, & ignaui hominis, qui non conatur amplius quotidie proficere, quonia ipsa tepida, & incuriosa uirtutis exercitatione, in dies imperfectius redditur, & indeuotius ac imbecillius exercetur. Id uero exempla ex infirmis rebus petita, clarius, quam desiderari possit, & euidentiùs exponunt. Na qui iuuenis optime scribebat, & pulchros characteres formabat, ipsa consuetudine, festinat, & sine cura scribendi, in virili aetate aut senectute pessime scribit, & ab illa facilitate bene scribendi cadit. Qui grammaticam, aut rhetoricam addiscens, congrue, imo & disertè loquebatur, ipso usu non examinandi, & poliendi, quod loquitur, post aliquot annos barbarè loquitur, & apud huius artis peritos ridiculus inuenitur. Qui ad apicem sacerdotij conscendit, & ritibus celebrandi sciendisque diligenter incubuit, absque ullo exteriori defectu, & cum magna curiositate ritus tremendi sacrificij peragit, & postea sola obliuione seruandi quae dicitur, ritum missae dediscit, & innumeris defectibus, opus illud sacrosanctum quotidie perficit. Nonne uides, quo modo incuria diligenter operandi, opus imperfectionibus scedat? Nonne uides quam uerum sit, quod ipsa indiligentia crescendi opus perfectum deficit, & a prima sua perfectione deficiat? Idem profus in operibus studiosis euenit, quod inepto quodam usu, & tepida consuetudine, facta a prima pulchritudine & perfectione deficiunt. Qui antea intentissime & feruidissime orabat, dum curam augendi uirtutem orationis deposuit, distractè & remissè orat; qui promptissime obediens, obedientiae promouenda cura relinquit, iam difficulter parer, & non sine tristitia, & obmurmuratione praetorum iussa perficit: qui mitissime iniurias sustinebat, ex eo tempore quod oculos a mansuetudine auertit, iam uix modicum uerbum in suaue sustinet, & ad omnia cum ira & indignatione respondet. Iam igitur opera iustorum defecerunt, & a prima

A illa perfectione delapsa ad magnam imperfectionem declinarunt, meritoque dicemus illis, quod Paulus Hebraeis: Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus: rursus indigetis, ut uos doceamini, quae sint elementa exordij sermonum Dei. Et rursus illud: Currebatis bene, quis uos impediuit ueritati non obedire? Orabatis reuerenter, obediatis promptè, sustinebatis fortiter, in omnibus uos gerebatis perfecte, qui uos fascinauit, quis compediuit, quis a primo operum splendore deiecit, nisi ipsa obliuio proficiendi, atque incuria in melius non ambulandi? Duo enim nauigantium alimenta consumunt; primo, maris & uindarum saeva tempestas, quae compellit eos non tantum merces proicere, sed & ipsos cibos in mare iactare; secundo, maris noxia malacia, & peior tempestate tranquillitas, quae panem & uinum omne consumit, & miseros homines ad extremam quoque necessitatem redigit. Ita duo solent studiosa opera iustorum disperdere, & alicuius grauis peccati tempestas, quae omnia deuorans animam ad pristina uita carnalis studia retrahit, & praua tepiditas, quae paulatim bonorum operum splendorem extenuat, & ad miserabilem quamdam imperfectionem reducit.

B Deficit tandem & ipsa uirtus hominis tepidi, & non curans proficere, quam in feruore positus comparauit. Omnis enim uirtus, aut acquisita est, aut per Dei infusionem accepta. Et de acquisita non est dubitatio, omnibus Theologis asserentibus, quin operum cessatione minuat. Licet enim in modo, quo uirtus otiosa deficit, sit inter illos opinionum diuersitas, tamen in eo quod tractamus, scilicet, quod uirtus acquisita otiositate deficiat, omnes sine ulla exceptione conueniunt. Na uirtutes istae, quae non sine auxilio Dei, nostra parantur industria, nostra etiam negligentia subruuntur. Aut quia ipsae corruptibiles sunt, & si non excolantur, temporis lapsu ueterascunt, & sicut scientia obliuione deletur, & amicitia defectu communicationis minuitur, ita & ipsae sua infirmitate ad interitum eunt. Aut quia cessante harum studio uirtutum, contrariae passionis insurgunt, & oppositi actus, & desideria pullulascunt, quae impetu in uirtutes, praesidio actu uel destruitas irrumpentes, eas principio minuunt, & deinde perseverate consuetu, funditus destruit. Gratia uero ipsa, & charitas, & uirtutes supernaturales a Dei infusione prouenientes, non minime etiam detrimentum ex incuria & negligentia nostra subeunt, tum ex eo quod peccata, licet leuia, ad eorum interitum corruptioneque praeparant, tum etiam quia dum ipsae nihil operantur, affectus inordinati renascuntur, & uicia pullulant, quae sui augmento uirtutes infirmiores & imbecilliores efficiunt. Quemadmodum enim exercitus militum decem millium, aduersus alium aequalem exercitum pugnant, illi uiribus aequalis est; si uero iste aduersarius crescat, & viginti millibus militibus constet, iam ille primus sine ulla suorum militum immutatione, & solo augmento contrarij alterius infirmior: ita charitas tepidi hominis eadem secundum substantiam manens uirtute resistendi minor est, & operandi facilitate infirmior, eo ipso quod passiones robustiores sunt, & affectus contrarij rebellant, & uicia iam uicta, & prostrata, iterum defectionem cogitant, & aduersus charitatem insurgunt. Ac proinde Dominus haudquaquam a nobis sua dona auferit, sed nos magnis nostris imperfectionibus ea auferimus, & stulti effecti multitudinem peccatorum destruis. Nec charitas unquam leuium peccatorum multiplicatione omnino deficit, quae non in se ipsa, sed in comparatione ad contraria inurgentia, detrimentum sentit. Sicut enim si regem aliquem fortissimum aduersarij captiuum tenerent, & catenis illigatum in carcerem conicerent,

Hebr. 5.

Galat. 5.

D. Thom.  
1. 2. q. 53.  
art. 3.D. Thom.  
2. 2. q. 2.  
art. 10.



ille quidem in seipso fortis est, quia vires suas non amisit, at comparatione externorum impedimento-  
 rum infirmus, quia non valet ea periripere, nec catenas  
 effringere, nec profunditatem carceris superare: ita  
 charitas seipso fortis est, quæ gradus suæ perfectio-  
 nis non perdidit, at affectibus est ligata, & passionū  
 vinculis cōpedita, & veluti in profundū lacū tepidi  
 cordis coniecta; & tot perturbationibus implicata, vt  
 non possit facillè, sicut antea, studiis perfectionis insti-  
 flere, & hostes suos superare. Sicut autem virtus, nō  
 à nimia, & irremissa, sed à prudētī exercitatione de-  
 pendet, ita nec cūm prudenter vacamus, vllō modo  
 minuitur, imō magis roboratur, quia discretā relaxa-  
 tione, quasi debito tēpore dormit, & in somno vires  
 ad iterum laborandū refumit. Certum est itaq; quōd  
 qui non proficiunt, in prius quæ sita virtute deficiūt,  
 & paulatim sūt deteriorēs, qui nō conātur esse me-  
 liores, idq; nos æquum est ad quotidianū profectum  
 exsuscitare. Si enim opes perituras curamus sēper au-  
 gere, & multo labore partā scientiā continuo studio  
 & meditatione seruare, quantō magis enitendū est,  
 virtutem, & animæ sanctitatē perficere, quæ & ipsa  
 per se thesaurus est incomparabilis, quo vitam cœle-  
 stem mercamur, & felicitatem ac finem nostrum as-  
 sequimur. Ne simus sicut arbores nodosæ, quæ num-  
 quā crescunt, numquam fructificant, nec labori agri-  
 colæ proventū oblatione respondent; sed sicut ar-  
 bores bonæ, & fructuosæ, & studiū nostrum sit cre-  
 scere, cura sanctitatis desiderii florere, & sanctis o-  
 peribus tamquam fructibus abundare.

*Septimum excitatorium desiderij perfectionis: quōd ad eam querendam status obligatione constringimur.*

CAPVT II.

**R**OSTREMVM excitatorium desiderij  
 perfectionis, quod decreuimus hoc loco  
 tractare, non rogat, sed iubet; non ducit,  
 sed trahit; nō mulcet, sed minitatur: quoniam  
 non quodcunque detrimentum tepidis, & suā  
 salutem negligentibus, sed manifestū periculum æ-  
 ternæ dānationis inducit. Quod vt exquisitiū ape-  
 riamus, sciendū est, nos qui vitam religiosā profite-  
 mur, statum perfectionis profiteri, & post statū Epi-  
 scoporum, & Ecclesiæ principum, sanctissimam ac  
 perfectissimam Ecclesiæ vitam consecrari. Hi enim,  
 cū sint Ecclesiæ patres, fidelium magistri, Christia-  
 norum duces, qui pro suæ dignitatis exigentia, non  
 tam ad perfectionē currūt, quā iam perfecti sunt,  
 statum Ecclesiæ supremum obtinent. Et cū sint om-  
 nis virtutis & perfectionis doctores, sanctiorē vi-  
 tam habere tenentur his, qui pro ratione sui status so-  
 lum debent virtutem & perfectionem addicere. Nā  
 ille, qui agit, aut tribuit, vt etiā adnotauit Augustin.  
 in eo quod agit, & tribuit, perfectior est eo, qui reci-  
 pit, & agēti subiicitur. Vnde cūm Episcoporum munus  
 sit agere & docere, & lumen aliis tribuere, sequitur,  
 statu præstare omnibus alijs, etiam religiosis, quos (si  
 ius humanum ob iustas causas aliud nō statueret) do-  
 cerent, instruerent, regerent, & perinde atq; alios, sibi  
 subiicerent. Post Episcopos verō secundum locum in  
 Ecclesiæ gremio obtinent religioſi, qui non quam-  
 cumq; vitam, sed statum insignitam habent, & nō quem-  
 cumque statum, sed statum perfectionis profitentur.  
 Habent quidem statum non statum quantum ad iudi-  
 cium diuinū, quōd intuetur cor, sed etiam quantum ad  
 Ecclesiā, quæ, cū sit visibilis, intuetur ea, quæ parēt,

Aug. 12.  
de genef.  
ad lit. c.  
16.

1. Reg. 16.

& exteriora respicit.] Nam sicut status libertatis aut  
 seruitutis in republica ciuili non in solo actu seruien-  
 di, aut ad libitum viuendi, sed in externa, & solenni  
 obligatione ad seruendū, vel in absoluteione ab omni  
 seruitute consistit: quare non est seruus, qui liberē, &  
 ex voluntate seruit; nec liber, qui contra ius & fas à  
 debita seruitute fugit, sed seruus est, qui legibus ad  
 seruendum ligatur, & liber, qui legibus, aut sangui-  
 ne, atque maiorum genere, ab onere seruitutis absol-  
 titur: ita in Ecclesia sancta status, non ex quocumque  
 actu virtutis, aut charitatis, sed ex obligatione solēni,  
 aut publica, aut saltem externa consurgit. Quare cūm  
 religiosi se ad ea quæ sunt virtutis, obligent, & non  
 tantum interiūs, verūm & exteriori quocumque obligent,  
 & corā Prælatis, qui locum Dei gerunt, votis pauper-  
 tatis, & castitatis, & obedientiæ se obstringant, sit vt  
 in Ecclesia statū habeant, quo perpetuō & stabiliter  
 in aliquo viuendi genere perseverare tenentur. Habēt  
 etiam statum perfectionis, quoniā solēniter, aut pu-  
 blicè, aut externe coram Prælato ad ea, quæ sunt per-  
 fectionis, se obligant. Votis enim, & professione sua  
 pollicentur, à rebus secularibus, quibus licitè vti po-  
 terāt, abstinere, vt liberi Deo vacēt, & amorī Crea-  
 toris inhæreant, in quo sita est huius vitæ perfectio.  
 Idque manifestè designat Dionysius Areopagita dum  
 nomina indita religiosis exponit. Alij quidem, ait, eos  
 therapeutas, id est, famulos Dei, ex puro seruitio & fa-  
 mulatu: alij verō monachos ipsos nominant, ex indi-  
 uisibili, & singulari vita viuente ipsos, ex indiuisibi-  
 libus sanctis contemplationibus, ad deiformem vni-  
 tatem, & amabilem Deo cōtemplationem. Licet ergo  
 multi status sint in Ecclesia, vt status coniugatorum,  
 status regum, status doctorū, & alij similes, qui magis  
 possunt vocari officia, quā status, quoniā ad diuer-  
 sas actiones ordinantur, at duplex tantū est status per-  
 fectionis: Alter est status Episcoporum, quorū obligatio  
 est, alios vitam Christianā docere, à vitis abducere, in  
 omni virtute erudire, & animā pro otib. ponere: Al-  
 ter status religiosorum, quorū obligatio est perfici, à re-  
 bus secularibus auelli, & ad diuinā vniōne aspirare.

Iam itaque maxime ac vehementissime ad perfe-  
 ctionis desiderium nos excitet, quod nos qui religiosā  
 vitam profitemur, & statum religionis assumptimus,  
 tenemur ad perfectionē tendere, mores nostros emē-  
 dare, & in virtute, ac mentis puritate proficere. Sed  
 quomodo tenemur, aut qua obligatione constringi-  
 mur, ne si multum emixerimus, sanguine eliciamus,  
 & iustus animab. laqueū iniiciamus; aut si plus quā  
 æquū est, rē istā dilatauerimus, an sām tepidū præbea-  
 mus remissè viuēdi, & de via perfectionis nō curādī?  
 Certè obligatio religiosorum tendendi ad perfectionem  
 hæc est, (quod ex lumine Ecclesiæ Thoma apertè col-  
 ligitur) vt religiosus debeat intentione sua, ad perfe-  
 ctionē tendere, & perfectæ charitatis assequutionem  
 curare: debeat etiam operum exequutione, & regu-  
 larum, ac statutorum obseruatione ad perfectionem  
 seipsum parare, & his sanctis & religiosis operibus  
 tamquam passibus quibusdam ad perfectionem abi-  
 re. Hæc inquam, debet, sed dissimiliter. Nam si quis  
 religiosus animum tendendi ad perfectionem omni-  
 no deponeret, & mandatorum, ac votorum, ad crimē  
 obligantiū obseruatione cōtentus, nollet amplius in  
 virtute progredi, nec vltra proficere, is, secundū quo-  
 rundā doctorū sententiā (quam non examino) in statu  
 est damnationis, & lethaliter in Deum delinquit; se-  
 cundum alios verō, imō secundum omnes doctores,  
 saltē aliquo modo peccat, & est malus religiosus, qui  
 manifestè nō vult suo statui satisfacere, & ad finē cha-  
 ritatis perfectæ venire. Si autem quis intentione profici-  
 cedi, & ad perfectionē aspirandi retēta, in statutorum

Dion. lib.  
de Eccl.  
hierm. c. 6.

D. Tho. 2.  
2. q. 187.  
art. 2.